



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Oratio. Pro purgatione mentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

& divitiarum intelligas, sed de honoris etiam ambitu, ac vanæ laudationis desiderio, quæ omnia transeunt cum mundo.

Munit parum locus, si deest spiritus fervoris: nec diu stabit pax illa quæ sita forinsecus, si vacat a vero fundamento status cordis, hoc est, nisi steteris in me; permutare te potes, sed non meliorare.

Nam occasione orta, & accepta invenies, quod fugisti, & amplius.

ORATIO.

Pro purgatione mentis.

Confirma me Deus per gratiam sancti Spiritus.

Da virtutem corroborari in interiori homine, & cor meum ab omni inutili sollicitudine, & angore evacuare, nec variis desideriis trahi cuiuscunque rei vilis, aut pretiosæ, sed omnia inspicere sicut transeuntia, & me pariter cum illis transeunturum.

Quia

Quia nihil permanens sub sole, ubi
omnia vanitas, & afflictio spiritus.

O quam sapiens, qui ita considerat!

Da mihi Domine, cœlestem sapien-
tiam, ut discam te super omnia quæ-
rere, & invenire, super omnia sape-
re, & diligere: & cætera secundum
ordinem sapientiæ tuæ, prout sunt,
intelligere.

Da prudenter declinare blandien-
tem, & patienter ferre adversantem.

Quia hæc magna sapientia, non
moveri omni vento verborum, nec
aurem male blandienti præbere Sire-
ni: sic enim incepta pergatur via
sœcure.

CAPUT XXVIII.

Contra linguas obtrectatorum.

I. **F**ili, non ægre feras, si quidam
de te male senserint: & dixe-
rint, quod non libenter audias.

Tu deteriora de teipso sentire de-
bes, & neminem deteriorem te cre-
dere.

Si